POTENTISS. SUECOR. REG. HASS. LANDGR.
CONSILIARII AULICI,
PROF. JUR. ORD.
p. t. FACULTAT. JURIDIC. DECANI,

SPECIMEN SECUNDUM,

DE

CONSULTORI PESSIMO,

AD

l. 2. ff. Quod quisque.

MARBURGI CATTORUM,

MDCCXL.

§. I.

C*Onſilium malum conſultori peſſimum* eſſe, in proverbium abiit. Hiſtoriam, quæ eidem originem dedit A. GELLIUS (*a*) ex Annalibus MAXIMI, narrationibusque VERRII FLACCI ad hunc modum refert: *Statua Romæ in Comitio poſita* HORATII COCLITIS, *Viri Fortisſimi de Cœlo tacta eſt. Ob id Fulgur piaculis luendum aruſpices ex Hetruria acciti, inimico atque hoſtili in populum Romanum odio, inſtituerant eam rem contrariis Religionibus procurare, atque illam ſtatuam ſuaſerunt in inferiorem locum perperam transponi, quem ſol oppoſitu circum undique aliarum ædium nunquam illuſtraret. Quod cum ita fieri perſuaſiſſent, delati ad populum, proditique ſunt: & cum de perfidia confesſi eſſent, necati. Conſti-*

(*a*) Noct. Attic. L. IV. c. v.

titque eam statuam perinde, ut veræ rationes post compertæ monebant, in locum æditum subducendam; atque ita in area Vulcani subliniori loco statuendam. Eaque res bene & prospere Reipublicæ cessit. Tunc igitur quod in Hetruscos aruspices animadversum vindicatumque fuerat, versus hic scite factus, cantatusque a pueris, urbe tota fertur:

Malum Consilium Consultori pessimum est.

Unde statim elucet, sensum hujus proverbii esse, quod quis alii perperam consuluit, in ipsius caput recidere: qui etiam illis HESIODI verbis exprimitur:

Ipse sibi nocet is, alium qui lædere quærit,
Consultum male consultori pessima res est.

Enimvero *Consilium*, quo quis alterum lædere quærit, non aliud est, quam quod *fraudulentum* dicitur, de quo Regula Juris 62. in 6to ita se habet: *Nullus ex Consilio, dum modo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Quæ regula ut R. P. REIFFENSTUEL bene monuit (*b*), ex l. 47. ff. de *R. J.* desumta, ubi postquam verbis illis expressa *Consilii non fraudulenti nulla obligatio est*: statim altera a contrario sequens addita: *cæterum si dolus, & calliditas intercessit, de dolo actio competit*, seu quod perinde est consilii fraudulenti obligatio est. Ast quanta? juxta proverbium tanta, ut *in consulentem omne malum recidat, quod consilium fraudulentum insequitur*:

Cui belle convenit illud apud PLUTARCHUM:

Damna parens aliis, proprio parat epati damna.

§. 2.

(*b*) in Tr. de Regul. Jur. quæ Quinto & Sexto Libro Decretal. sunt annexæ p. 156.

§. 2.

Ast fraudem, quæ in consilio fraudulento intercedit, voluntatem in eo qui factum quoddam committit tollere, ex ipsa fraudis notione patescit (§. 893. *Mor.*). Ergo *in genere si quod consilium voluntatem in eo tollit, qui factum quoddam committit, malum omne, quod inde resultat, consultor sentire debet.*

Nolim objicias adductum proverbium juris non esse. Est id falsissimum. Agnoscunt DD. eidem superstructam esse *l.* 2. *ff. Quod quisque*, ceu videre est e MANTZIO (*c*). Vult ibi PRAETOR: ut Magistratus eodem utatur Jure, quod statuit erga alios: sed tunc demum, si quid novi juris ipse effecit sciens dolo malo: nam si ex Assessoris consilio aliter jus dictum quam oportuit; ait PAULUS, non debere hoc Magistratui officere, sed ipsi Assessori & rectissime: siquidem NOODT (*d*) docte ostendit, Assessoris officium esse, jus suggerere Magistratui, sicut se Juris Studiosum profitetur, & ex hac ratione in Consilium adhiberi dicitur *l.* 1. *ff. de Offic. Assessor. & l.* 1. *C. eod. tit.* Magistratus contra magis armorum quam legum peritiam profitetur; & cum jus dicit, tantum Assessorum verba pronunciat, ut CICERO pro PLANCIO annotat, verbis: *in Magistratibus si qua est Ars; Populus Romanus facile patitur: sin minus, virtute eorum & innocentia contentus est. Quotus enim quisque disertus, quotus quisque juris peritus est?* Liberum adeo non erat Magistratui explorare, an expediat consilium Assessoris nec ne. Sicque dici nequit, quod voluerit jus aliter dicere quam oportuit, ac propterea cum non Magistratui sed Assessori officeret consilium, ex quo jus ita

 dictum

(*c*) in Comment. ad Inst. L. III. Tit. 27. §. 6. n. 6.
(*d*) L. I. de Jurisd. & Imper. c. 10.

dictum, veritas asserti hac ipsa lege corroboratur. Imo considera sodes, si quid unquam rite potes considerare; nonne hoc in casu factum alienum penitus a voluntate consultoris dependet? Cum itaque factum alienum tibi imputetur, quatenus a voluntate tua dependet (§. 650. *Phil. Pr. Univers.*), qui inficias ibis, factum istud soli consultori imputandum esse, ob idque in illum omne malum, quod istud insequitur, redundare debere?

§. 3.

Itaque præfiscini dixerim argumento a contrario desumto; si quod consilium voluntatem in eo, qui ex ipso agit, non tollit, sed tantum in eandem influit, malum omne, quod inde resultat, in consultorem redundare non posse, sed eo vel majus vel minus, quod sentit ille, qui ex consilio egit, prout magis vel minus in voluntatem ejusdem influit.

§. 4.

Atqui consilium generale & speciale nudum minus in voluntatem influunt, quam instructivum & consilium cum sollicitatione. Etenim quemadmodum in Libra tres distinguere licet status, statum æquilibrii, statum præpondii versus dextram, & statum præpondii versus sinistram, ita quoque in Anima tres status a se invicem distinguuntur, nimirum status indifferentiæ, status volitionis & status nolitionis (§. 925. *Psychol. Empir.*). Jam vero statum indifferentiæ tollunt consilium generale & speciale nudum, quatenus efficiunt, ut rationes pro & contra nempe pro facto committendo vel omittendo non amplius sint æquipollentes ob auctoritatem, qua consultor semper juxta AMBROSIUM (*e*) pollet

(*c*) pollet, quæve pro una ſtat parte. Verum enim vero ex ſtatu indifferentiæ Anima ad ſtatum volitionis non transfertur, niſi etiam de modo propoſitum exequendi conſtet. Quare cum hunc ſuppeditet conſilium inſtructivum, hoc magis in voluntatem influere quam illa duo priora in propatulo eſt. Sed majus quid eſt Animam ex ſtatu nolitionis transferre ad ſtatum volitionis, quam ex ſtatu indifferentiæ ad ſtatum volitionis. Quoniam igitur hoc efficit conſilium cum ſollicitatione, cum ſollicitare ad agendum dicatur, qui omnem dat operam, ut alterum permoveat, ad faciendum id, a quo animum habet alienum ſeu quod facere non vult (§. 139. *Phil. Pr. P. II.*), & quidem eo facilius, quo magis ſollicitatio veſtita eſt, quippe quæ dicitur, ſi motiva tam generalia quam ſpecialia hujus ipſius actus a circumſtantiis nempe particularibus deſumta adhibentur (§. *eod.*); quin dictum conſilium cum ſollicitatione omnium maxime in voluntatem influat dubio caret.

Patet inde, quam perperam vulgo conſilium ſpeciale, inſtructivum & cum ſollicitatione ſeu inſtigatione confundantur. Differentia realis vel ex hoc ſolo in omnium oculos incurrit, quod non æqualiter in voluntatem hominis influant. In ſumma, ut me colligam, conſtat, voluntatem & noluntatem tuam non poſſe influere in voluntatem & noluntatem alterius, ut ejus voluntas voluntati tuæ & noluntas noluntati tuæ identificetur, ſeu ut alterius voluntas quaſi in tuam voluntatem & noluntas alterius quaſi in noluntatem tuam degeneret, niſi mediante intellectu alterius (§. 147. *Schol. Phil. Pr. Univ. P. II.*). Hunc vero magis docet conſilium

(c) de Offic. L. 2.

lium speciale quam generale, magis adhuc instructivum, omnium vero vivacissime sollicitatio vestita, utpote quæ pro ratione circumstantiarum particularium & vel in ipso instructivo consilio exequendo occurrentium suppeditat motiva: hoc præposito, quod actu intellectus ad actionem alterius concurrat, qui eum motiva agendi docet (§. 119. *Phil. Pr. Univ. P. II.* coll. §. 141. *ibid.*). Id quod discrimen inter dicta consilia utique palpabile reddit.

§. 5.

Quæ cum ita sint, unusquisque mecum confitebitur, quod is, qui ex consilio generali vel speciali nudo alterius egit, malum quod inde resultat quoad maximam, is vero, qui ex consilio cum sollicitatione egit, quoad minimam partem sentire debeat, mediumque adeo tenendum sit intuitu consilii instructivi, ut nempe in consultorem & eum, qui ex consilio ipsius egit, æqualiter redundet malum.

Et sane hac ratione variat imputatio facti. Quatenus enim quis consilio suo influit in voluntatem alterius, factum alienum ab ipsius voluntate dependet (§. 851. *Ontol.*). Quo magis vero factum alienum a voluntate tua dependet, eo magis tibi imputatur (§. 651. *Phil. Pr. Univ.*). Unde prono fluit alveo, magis imputandum esse factum alienum ei, qui consilium speciale nudum quam generale, adhuc magis ei, qui instructivum & omnium maxime, qui consilium cum sollicitatione præbuit. Quo magis vero factum alienum alteri imputandum, eo minus imputari potest committenti: cum eo minus judicari queat causa illius: in quali judi-

judicio tamen imputatio consistit (§. 527. *Phil. Pr. Univ. P. I.*) quid quod verissimum est, ei qui ex consilio generali & speciali nudo egit, factum omnium maxime imputandum esse, ei vero qui ex consilio cum sollicitatione egit omnium minime, qui vero ex consilio instructivo egit æqualiter. Sed cæcus etiam hic, ni fallor, videre potest, pro gradu imputationis facti variare quoque debere sensum mali, quod idem insequitur. Hinc minimum mali in eum qui ex consilio cum sollicitatione egit, maximum vero in Consulentem, minimum in eum, qui consilium generale vel speciale nudum præbuit, maximum in eum, qui ex iisdem egit, æquale autem in eum, qui consilium instructivum dedit & secutus redundare debere, nemini erit dubium.

Equidem in contractibus consilium tam generale quam speciale nudum obligatorium non est jure Civili. Ita enim de Mandato tua tantum gratia §. 6. *Inst. de Mand.* Imperator pronunciat, *illud magis consilium quam mandatum, & ob id obligatorium non esse.* Quod vero id non solum de consilio generali, sed etiam de speciali nudo valeat, optime vidit NOODT *(f)*, provocans *ad l. 2. ff. de Proxen.* in qua sic infit ULPIANUS: *Si proxeneta intervenit faciendi nominis, ut multi solent, videamus, an possit quasi mandator teneri. Et non puto teneri.* At vero proxeneta faciendi nominis causa intervenit consilium speciale dando. Utriusque alia ratio non est, quam quæ ab ipso Imperatore suppeditatur; *cit.* §. 6. quod *liberum cuique sit apud se explorare, an sibi expediat consilium.* Quando vero datur consilium

(f) Probabil. L. IV. c. XII Oper. f. 86.

ſilium delinquendi generale vel ſpeciale nudum ſaltem, aliter res ſeſe habet. Tunc jure meritoque imputantur. Ita enim jam SATURNINUS *l.* 16. *ff. de Pœn.* reſpondit, *alios ſuadendo juviſſe ſceleris eſt inſtar.* Idque propter, laudem & approbationem conſulentis, quæ concurrere ſolent (§. 674. *Phil. Pr. Univ. P. I.*), efficiuntque, ut factum alienum laudanti & approbanti imputetur (§. 673. *Phil. Pr. Univ. P. I.*): *nec enim laudando oportet malitiam augeri*, ait ULPIANUS *l.* 1. §. 4. *ff. de ſervo corrupt.* Verum conſilium cum ſollicitatione in ipſis quoque contractibus obligatorium eſt. Quod Imperator comprobat, *quando quæſitum*, pergens, *an mandati teneatur, qui mandavit tibi, ut pecuniam Titio fœnerares? Obtinuit Sabini ſententia, obligatorium eſſe in hoc caſu mandatum: quia non aliter Titio credidiſſes, quam ſi tibi mandatum eſſet*, h. e. ut bene addidit Illuſtr. Dn. BOEHMERUS. *ad d.* §. alterius crebriores inſtigationes & rogationes acceſſiſſent, ut adeo ipſe Imperator hic diſtinguat, utrum conſilium ſollicitationem vel inſtigationem, quæ illius ſpecies eſt (§. 140. *Phil. Pr. Univ. P. II.*) adjunctam habeat nec ne, illudque pro obligatorio venditet in ipſis contractibus. Nonne ergo multo magis idem de delictis dicendum? Ad hæc probe notandum, quod neceſſe ſit, ut Imperator ſtatuerit, conſilium cum ſollicitatione liberum non relinquere apud ſe explorare an expediat nec ne, cum conſilium generale & ſpeciale pro non obligatoriis declaret, quoniam hoc liberum relinquunt, quod aliter non explicabis, quam quando ſollicitationem fortiſſimis motivis veſtitam ſupponis, quoniam illa coactioni in jure æquipollet, ſecundum ea, quæ in Spec. I. latius deduxi. Supereſt conſi-

consilium instructivum, quod Imperator §. 12. *Inst. de Obligat. qui ex delict. nasc.* respicit verbis sequentibus: *certe qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, sed tantum consilium dedit, atque hortatus est ad furtum faciendum, non tenetur furti.* Quæ verba cum cel. Dn. OTTONE ita interpretanda videntur, ut regulariter ex consilio nemo teneatur, si res in terminis consilii mansit, nec eventus secutus fuerit: eo enim collineat PAULUS *l.* 53. *ff. de V. S. nec consilium habuisse noceat*, inquiens, *nisi & factum secutum fuerit.* Quod ANT. MATTHÆI (*g*) de Consilio instructivo haud incongrue intelligit, id velut ad furandum suppeditatum æque imputandum existimans ac ipsum factum velut furti, quod secundum illud SATURNINI *l.* 16. *ff. de Pœn.* non minus consilia atque facta puniantur, & quidem sola absque ope concurrente, cum econtrario formulam antiquam *ope consilio* conjunctim olim acceperit SABINUS, dissentiente LABEONE, ut refert PAULUS *in l.* 53. §. 1. de *V. S. quia aliud factum est ejus, qui ope, aliud ejus, qui consilio furtum fecit.* Quod ipsi probatum egregiam lucem *d.* §. 12. *Inst.* affundit, evincitque perperam MERILLIUM (*h*) putasse, ex consilio neminem furti teneri, licet ex eo contrectatio secuta fuerit. Quod si vero quis præter consilium ope quoque concurrit, omne penitus dubium cessat, quod furti teneatur, adeoque in pari reatu versetur. Ac proin jam in sole positum est, minimum esse reatum illius, qui consilium cum sollicitatione secutus, maximum vero ejus, qui illud dedit, ut & maximum

 illius,

(*g*) de Crimin. p. 7. 67.
(*h*) L 2. Obs. c. 39.

illius, qui consilium generale & speciale secutus, minimum dantis.

§. 6.

Inde jam porro collige: malum Physicum ab eo, qui alterum obligandi aliquod jus habet, ob malum morale eidem immissum, pœna dicitur (§. 1077, *Theol. Nat. P. I.*). Ergo neque majus neque verius est, quam quod *is, qui ex consilio generali vel speciali nudo alterius deliquit, pœnam ejusdem delicti maximam, qui vero ex consilio cum solicitatione deliquit, pœnam ejusdem delicti minimam; qui vero consilium instructivum secutus æqualem cum eo, qui istud dedit, sentire debeat.*

§. 7.

Quibus ita deductis & in tuto collocatis sequentis casus, quem illustrationis gratia fingam, decisio facillima erit. Sibylla filia Cajæ sese despondet Titio, sponsique sui amore ad coitum anticipandum sese seduci patitur: forsan etiam ut mater eo minus in sponsalia cum sponso sibi odioso dissentiret. Mater vero graviditate & sponsalibus compertis, omni nisu reluctatur omnesque ingenii nervos intendit, ut socerum sibi adeo odiosum a foribus suis repelleret. Minis itaque capitalibus filiam eo adigit, ut illum derelinqueret, & cum alio sibi grato sponsalia celebraret. Ne vero ad novi sponsi notitiam perveniret graviditas filiæ, ipsi non solum consilium præbet, eandem celandi, ut prius exspectetur, an infans vivus an mortuus in lucem proditurus sit, sed & fidem ei facit de eventu ita dirigendo, ut evaderet prosper. Filia minis matris perterrita & persuasione ejusdem occæcata in illo consilio acquiescit.

escit, uterumque celat eventum haud funestum si quem etiam mater intenderet exspectatura. Postquam itaque tempus partus appropinquaverat, mater filiam doloribus fere exanimatam ad necem foetui inferendam sollicitat, modum monstrans, quemadmodum id exequeretur. Situlum nempe aquarium afferret, eidemque sese superimponeret, quo infans ex utero in eundem sese præcipitem daret, sicque suffocaretur. Filia posita inter sacrum & saxum cruciata infantem ad monstratum a matre modum in aquam præcipitari sinit, sed ecce eundem ex aqua protrahens reperit adhuc vivum. Matri itaqe eundem tradit, quæ statim nervum ipsius umbilicarem cultro suo dissecat, infantemque humi projicit, ut exsanguinatus necaretur. Quod etiam factum.

Si jam vera audire juvat, si vera eloqui sine invidia licet; consilium quod mater in præsenti casu ab initio filiæ dabat de utero celando & exspectando eventu, num infans mortuus an vivus in lucem sit proditurus, atque in sua tanquam vetulæ calliditate fiduciam collocando, admodum generale erat, mutabatque tantum statum indifferentiæ graviditatem celandi vel non, rationibus ob auctoritatem matris pro parte priori præponderantibus. Nondum vero propterea volebat infanticidium, sed magis sperabat fore, ut si quod mater intenderet, Deus aversurus sit. Concurrebat dein tempore partus consilium speciale matris infantem necandi, statum æquilibrii in Anima filiæ intuitu infanticidii committendi vel non tollens, rationibus isto tempore pro committendo præponderantibus. Præterea accedebat consilium instructivum adhuc magis in voluntatem filiæ influens, determinansque volitionem ipsius sequendi modum a matre monstratum, situlum

 nempe

nempe aquarium afferendi eique ſeſe ſuperimponendi: addita ſollicitatione ſinendi, ut infans ex utero in aquam præcipitaretur, quod hoc modo in ipſo partu ſuffocato experientia teſte nulla ſe conſpiciendam præbeat violentia. Habebat nimirum filia animum ab infanticidio committendo alienum: quatenus priori ſuo ſponſo dilectiſſimo adhærere volebat, eundem vero deſerere a matre coacta. Prius enim ſi obtinuiſſet, cui fini infanticidium inſerviiſſet? Ita vero finis, quem ſibi præfixum habebat mater, ut nempe filia alii nubere poſſet, nec is reſciſceret eandem antea peperiſſe, exigebat, ut mater omnem ſibi daret operam, quo filiam permoveret ad id, a quo animum habebat alienum infanticidium nempe committendum. Ain vero? quid aliud eſt ſollicitare alterum ad agendum, quam illum eo permovere? Et quod amplius, ſollicitatio hæc non nuda ſed veſtita eſt. Eo enim jam mater filiam ſeduxerat, ut celaret uterum: quod proſpere eveniebat. Nil adeo reſtabat, quam ut eandem ad infanticidium ipſum impelleret. Quod erat facillimum vel per ſola motiva ab hac circumſtantia paticulari deſumta, quod hucuſque res optime geſta fuerit, graviditasque nemini innotuerit, atque in infante in aqua ſuffocato nulla conſpicua ſit violentia. Annuebat tempus iſta motiva ſuppeditandi: opportunius namque non erat quam illud, quo deliberatio doloribus partus impediebatur. Sane hoc ipſo motiva ſuppeditata non poterant non eſſe fortiſſima ſtimulandi filiam ad id, in quod ſibi relicta nunquam conſenſura fuiſſet. Quamvis adeo quatuor ſupra adducta conſilia in commiſſum infanticidium influxerint. Primum tamen generale minimum effecit, plus ſpeciale & inſtructivum, maximum illud cum ſollicitatione.

Inde-

Indeque ob hæc filia in minimo, mater in maximo versatur reatu (§. 5.).

Absit igitur, ut filiam gravaret, quod jam ante tempus partus mater cum ipsa coierit, deque fœtu in utero collocuta fuerit, quasi hac ratione præmeditato infanticidium commisisset. Hoc ipsum est seductio, quæ sine temporis spatio concipi nequit, quo seductor cum seducendo agit, ipsique consilium suum exponit. Est vero tantum initium seductionis infimusque gradus, si modo consilium generale suppeditatur, majoris tamen quam alias momenti si speciale, instructivum & consilium cum solicitatione non concurrunt, quippe quibus, per illud præcedens via præparatur, ut facilius effectum sortiantur, dum hominem disponit statu indifferentiæ erga media sublato, ut promtius dein obtentis jam mediis finem velit, ad quem consequendum illum permovere ipsius consultoris interest, a quo tamen, ille alias animum habet alienissimum. Tantum abest igitur, ut consilium istud generale matris reatum filiæ aggravet, ut potius ipsum minuat. Fatendum autem, illa ultima consilia potissimum spectanda esse. Illa causa sunt primaria & proxima, cur infanticidium commissum fuerit: consilium generale autem remota saltem est causa, ex qua animum infantem necandi nondum colligere licet. Fieri enim potuisset, ut celato etiam utero fœtus mortuus in lucem ederetur, vel vivus ex utero exclusus conservaretur, velut in pagum quendam ad educandum transferretur, ne sponso novo innotesceret. Igitur si dicamus, quod res est, tunc temporis, quo mater filiæ consilium generale dabat, voluntas in ipsa nondum orta infantem necandi, sed tantum

tum uterum celandi, quæ illam nondum involvit, etsi quoque mater promisisset infantem e medio tollere, utpote quod citra necem fieri potuisset, prout monui & experientia magistra est. Ecquid si filia tempore quodam malam matris intentionem suspicata, eandem anxie dehortata fuisset, illa vero ipsam certiorem reddisset de prospero eventu? Nonne id animi ab infanticidio abhorrentis indicium clarissimum? Atque sic cardo rei in eo vertitur, annon mater ob id, quod voluntatem filiæ ad infantem necandum in ipso actu puerperii demum determinaverit, in reatu maximo, filia in minimo sit? Nec puto, me aberraturum a veritatis tramite, si id ausim tueri.

§. 8.

Nunc fas sit addere pœnam pro ratione consilii dati & reatus filiæ in dato casu infligendam. Quoniam per hactenus deducta ex consilio non solum generali sed etiam speciali instructivo & cum sollicitatione vestita deliquit Filia (§. 7.), talis vero delinquens pœnam delicti omnium minimam sentire debet (§. 6.), facile jam est comprehensu, & filiæ istiusmodi pœnam infanticidii minimam irrogandam esse. Sed pœnam infanticidii maximam capitalem esse, nemo non concedit. Inter reliquas vero fustigationem nempe, relegationem perpetuam atque ergastulum ad gratiam Principis usque, hanc minimam, ceteras intermedias esse, sine nullo percipitur negotio. Hinc si quod sentio, libere dicam (nec est cur dissimulem), pœna ergastuli ad gratiam Principis usque illa ipsa est nec alia, quæ delicto filiæ consilio non solum generali sed etiam speciali instructivo & cum sollicitatione vestita ad infanticidium a matre persuasæ, proportionata est.

Atque

Atque hac ratione consilium matris malum ipsi consultrici pessimum evadit, si filiæ minima illi vero maxima infanticidii irrogatur pœna. Quæ adeo proxime ad illam accedit, quam Deus in sapienti hujus universi gubernatione irrogat illi, qui consilium fraudulentum dedit. Quoniam nempe in hoc ratio mali, quod ex actione sequitur, unice continetur, Deus eum solum punit, dum malum quod alteri inferre intendit, in ipsum derivat. Quid ergo huic convenientius, quam ut is, in quo potior delicti continetur ratio, ejus maximam, adeoque is, cui minimum imputandum, minimam sentiat pœnam? Plane inter consilium fraudulentum & istud cum sollicitatione non datur medium, sed hoc illud immediate excipit, si consilia eo ordine collocentur quo se referunt ad voluntatem? Itaque cum illud omnem pœnam in consultorem derivet, huic nil propius est, quam si consilium cum sollicitatione pœnam inter plures ejusdem delicti maximam consultori contrahat; cui dein in illo, quem consilium istud determinavit, aliam non esse proportionatam quam minimam, certum est immotumque manebit. Quinimo si supponis filiam minorennem, consilium cum sollicitatione investita ob infirmum & fragile judicium in tantum fraudulento accedit, ut terminos fere distinguere non possis. Profecto mater fraudulenter agebat, dum filiæ id ab initio persuadebat, quod ipsi funestum minari haud videbatur eventum, medium vero erat ad finem suum consequendum, quo obtento dein filia eo minus resistebat. Nonne subdole agebat dum acerrimos filiæ advertens morsus statumque deliberationis impatientem, eandem ad sequendum modum qui tuto mortem inferret infanti sollicitabat?

Quod si cum cura circumspiciatur, & accurata mentis lance trutinetur, quam callide mater fine suo ob quem occultationem graviditatis suadebat dissimulato intentionem suam infantem necandi dissimulaverit (§. 721. *Phil. Pr. Univ. p. II.*); non puto aliquem sic ejuraturum rationem, ut in determinando suo arbitrio pœnam extraordinariam filiæ statuendi, ultra istam minimam ergastuli progressurus sit. Neque huic sententiæ officit illud notissimum: interdum malitiam supplere defectum ætatis. Quod quidem negandum non est. An vero in casu dato talis malitia demonstrari queat, alia quæstio est. Supponit ea summam deliberationem, quam de filia primitus in actu puerperii constituta nunquam demonstrabis. Supponit propositum tenacissimum, adeoque ardorem agendi (§. 226. *Phil. Pr. Univ.* P. II.), qui actus voluntatis est cupiditate stipatus (§. 218. ibid). Qui vero cupidam dices filiam infanticidii, quæ ardebat cupiditate priori suo sponso imprægnatori adhærendi? Et quid si novus sponsus lapsum cum priori pro nullo reputasset, idque declarasset? Quæ ratio fuisset cur filia infanticidium cuperet? Malitia ergo in matre residet, cujus nutu subdolo omnia agebat filia, imo a cujus voluntate callida tota in agendo dependebat. Dic quæso, si mater ipsa filiam disculparet, ne ipsi consultatio de infanticidio committendo imputetur, nonne i apertissime animum filiæ indeliberatum evinceret? Mihi ita videtur, si perpendam, quod *deliberata* dicatur *actio*, quæ consulto seu nonnisi prævia consultatione editur (§. 601. *Phil. Pr. Univ. p. I.*). Qui in rem venient suffragia dabunt. Quæ cum ita sint, prout sunt, pone jam filiæ neutiquam minimam illam ergastuli, sed fustigationis pœnam irrogandam esse. Partus

tus in aqua non suffocatus supponitur. Ergo infanticidium a parte filiæ tantum attentatum est, seu in conatu consistit. At vero accommodate prorsus GOEDELMANN (*i.*), *generali consuetudine*, ait, *conatus semper mitius punitur delicto completo adeoque extraordinarie*; quod CARPZOVIUS, ANTONIUS MATHAEI, KRESSIUS *ad art.* 178. *C.C.C.* aliique similiter defendunt: haud abs re: sicut enim, optime inquit Doctiss. Dn. LUZ. (*k*) *pars non potest æquiparari toti; ita nec delictum attentatum consummato.* Quomodo ergo filia puniretur, si infans in aqua suffocatus sicque infanticidium perfectum fuisset? Post pœnam mortis ex ipsa tua confessione non infligendam, quænam fustigatione & connexa cum illa infamia acerbior? Invitus ergo fateberis, fustigatione mitiorem filiæ in dato casu infligendam esse pœnam. Nec adversus hanc sententiam hilum facit, quod KRESSIUS *c. l. p.* 582. statuat, conatum in parricidio, si ad actum proximum pervenerit, pœna mortis puniri. Loquitur de conatu nullo ad mitigantia habito respectu: alias enim ipse eo inclinat p. 583. quod quæ pœnam ipsius delicti mitigant, multo magis pœnam conatus mitigent: quo merito refertur seductio, maxime per fortissima motiva consummata. Sufficit quod KRESSIUS nobiscum idem sentiat, conatum & si ad actum proximum pervenerit, ipso crimine mitius puniri, & si aliquando etiam pœna mortis puniatur angesehen gelegenheit und gestalt der Sachen (ut verbis Carolinæ utar) qualem circumstantiam aggravantem tantum abest ut quis seductionem fortissimam judicet, ut potius eandem ad summopere mitigantia referat. Et id velim rite pensi-

(*i*) de Crim. Mag. p. 141.
(*k*) in Differt Lipf. de Imputat. Crimin, attentati habita.

pensitetur, Jure Romano extraordinem & exempli causa in sollicitatores tanquam pessimum hominum genus, ut loquitur ANTON. MATHAEI (l), statutum esse, ut crimen attentatum perinde ac completum in ipsis puniatur, §. 8, Inst. *de obligat.* Cum itaque seductio causa sit infanticidii hoc in casu attentati, eaque ex parte per idem consummata fuerit, filia nempe a matre sollicitatrice mala reddita, quin id infanticidium attentatum ex mala quoque voluntate aus dem bösen Willen juxta Carolinam *d. art.* æstimandum, ad gradum infimum reducat dubitandum non est. Cui consequens, idem tanquam effectum seductionis illius, non similiter eadem pœna cum completo puniri posse. Quoniam igitur ut completum ultra fustigationem hoc in casu puniatur, nemo ne rigidissimus quidem desiderare potest; ut attentato in eodem casu pœna infra fustigationem imponenda sit, necessario sequitur. Quod vero pœna ergastuli ad gratiam Principis usque convenientior detur; rationis dicto audiens jam in Specimine Primo negare coactus fui. Quicunque etiam a studio partium liber præmissas & consequentiam combinaverit, illationem deprehendet validissimam. Nil itaque superesse video, quam ut cuivis cordatiori in memoriam revocem illud HORATII, de cujus Juris prudentia nuperrime egregie disseruit Cel. Dn. ESTOR (*m*), monitum admodum salutare:

Adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.

(*l*) c. l. p. 67.
(*m*) In Præfat. Opusculis Hambergeri præmissa.

)o(